

COMMEMORATIONES

CONSUETÆ,

SEU

SUFFRAGIA SANCTORUM.

COMMEMORATIO

de Cruce in feriali tantum
Officio.

Ad Vesperas et Laudes. *Añã.*

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster. *V.* Omnis terra adoret te, et psallat tibi. *R.* Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

PERPETUA nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignátus es.

De S. Maria, quando non dicitur ejus Offic. parvum.

Ad Vesperas et Laudes. *Añã.*

Sancta Maria, succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pó-pulo, intérvieni pro clero, intércéde pro devóto femineo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemorationem. *V.* Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. *R.* Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitate gaudere: et gloriósa beatæ Mariæ semper Virginis intercessióne, a præsentí liberári tristitia, et ætérna pérfrui lætitia.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificat. dicitur:

V. Post partum, Virgo, invioláta permansisti.

R. Dei Génitrix, intércéde pro nobis.

Orémus.

DEUS, qui salutis ætérnæ beatæ Mariæ virginitate fœcúnda, humano géneri præmia præstitisti: tribue quæsumus ut ipsam pro nobis intércédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscipere Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

De sancto Josepho, totius Eccles. Catholic. Patrono.

Ad Vesperas. *Añã.*

Ecce fidélis servus, et prudens, quem constituit Dómi-

nus super familiam suam. **V.** Glória, et divitiæ in domo ejus. **R.** Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Laudes, Aña.

Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. **V.** Os justí meditabitur sapientiam. **R.** Et lingua ejus loquetur judicium.

O rémus.

DEUS, qui ineffabili providentia Beatum Joseph. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es præsta quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.

De SS. Apóstolis, totius Ecclesiæ Patronis.

Ad Vesperas, Aña.

Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Dómine. **V.** Constitues eos Principes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad Laudes, Aña.

Gloriósí Principes terræ, quómodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum.

R. Et in fines orbis terræ verba eorum.

O rémus.

DEUS, cujus dextera beatum Petrum ambulāntem in fluctibus, ne mergeretur. erexit: et coapóstolum ejus Paulum tertio naufragāntem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius et concède; ut amborum méritris æternitatis glóriam consequamur.

De SS. Martyribus Hippolyto et Cassiano, hujus civitatis Mexicanæ Patronis, quorum in hac civitate tantum fit commemoratio.

Ad Vesperas, Aña.

Gaudent in cœlis animæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine. **V.** Exultabunt Sancti in glória. **R.** Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Laudes, Aña.

Vestricapilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passibus meliores estis vos. **V.** Exultabunt Sancti in glória. **R.** Lætabuntur in cubilibus suis.

O rémus.

DA, quæsumus, omnipotens Deus: ut beatórum

Martyrum tuórum Hippolyti et Cassiani veneranda commemoratio, et devotió-nem nobis áugeat etsalútem.

Quando fit Officium de aliis Martyribus, variantur Añæ. Nam pro SS. Hippolyto, et Cassiano, in Laud. sumitur Aña. ex j. Vesp. et in Vesp. sumitur ex Laud.

Extra civitatem Mexici, ubi non sint Patroni locales canonice electi, potest prædicta commemoratio de SS. Hippolyto et Cassiano subrogari cum commemorat. sequenti S. Philippi a Jesu, utpote Patronus principalis totius Diœcesis.

In II. Vesp. Aña.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

V. Justus, ut.

In I. Vesp. Aña.

Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honore coronasti eum, Dómine. **R.** Et constituisti eum super ópera ra mánuum tuarum.

In Laud. Aña.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

V. Justus ut palma florébit.

R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

O rémus.

DEUS, qui inter primos Japoniæ Martyres beatum Philippum, cruci alligatum, triplicique lancea confossum primum ómnium martyrio coronasti: concède propitius: ut ejusdem nos suffulti patrocinio, cum illo pariter coronemur in cœlis. Per Dóminum.

De Virgine sancta Rosa a sancta María, omnium Indiarum principaliori Patrona.

Ad Vesperas, Aña.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dóminus præparavit in ætérnum.

Ad Laudes, Aña.

Simile est regnum cœlorum hómini negotiatóri quærénti bonas margaritas: invénta una pretiosa, dedit ómnia sua, et comparavit eam. **V.** Diffusa est grátia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te, Deus, in ætérnum.

O rémus.

BONORUM ómnium largitor omnipotens Deus, qui Beatam Rosam, cœlestis grátie rore prævéntam, virgini-

tâtis et paciëntiæ decóre In-
dis floréscere voluisti: da no-
bis fámulis tuis, ut in odó-
rem suavitátis ejus curren-
tes, Christi bonus odor éffi-
ci mereámur.

*Quando fit Officium alte-
rius Virginis, variantur Añæ.
Nam pro sancta Rosa in Lau-
dibus sumitur Aña. ex j. Vesp.
Veni, sponsa Christi, etc.*

*In Vesperis sumitur ex
Laudibus. Simile est regnum,
etc.*

*V. Specie tua, et pulchri-
túdine tua. R. Inténde, prósp-
ere, procéde, et regna.*

De Pace.

Ad Vesperas et Laudes, Añu.

Da pacem, Dómine, in
diébus nostris, quia non est
álius, qui pugnet pro nobis,
nisi tu Deus nóster. *V. Fiat
pax in virtúte tua. R. Et abun-
dántia in túrribus tuis.*

LAUS DEO.

DE ORDINARIJ LICENTIA.

Orémus.

DEUS, a quo sancta desidé-
ria, recta consília, et jus-
ta sunt ópera: da servis tuis
illam, quam mundus dare
non potest, pacem; ut et cor-
da nostra mandátis tuis dé-
dita, et hóstiúm sublata for-
midine, témpora sint tua
protectióne tranquilla. Per
Dóminum nóstrum, etc.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicámus Dómino.

R. Deo grátias.

*V. Fidéliúm ánimæ, per
misericórdiam Dei, requies-
cant in pace.*

R. Amen.

Omnes beneficiarii in suis
beneficiis debent facere Com-
memorationem, inter has
consuetas, de Patrono prin-
cipali loci, vel titulari Eccle-
siæ, illi debitum locum assig-
nando, secundum gradum
sue dignitatis.

Sponsam tuam, Ecclesiam, lacrimabili defec-
tione contristarunt. Concede nobis ad tuum
complexum eos reducere, aut certe ipsorum
expiare delicta, resarcire damna, et dolorem,
quo Te afficiunt, amoris nostri consolatione
minuere.

Sine, denique, Te quisque nostrum exoret
his Augustini verbis: O dulcis Jesu, vivas
Tu in me et concalescat spiritu meo vi-
vus carbo amoris tui, et excrescat in ignem
perfectum; ardeat jugiter in ara cordis mei,
ferveat in medullis meis, flagret in abscon-
ditis animæ meæ; in die consummationis
meæ consummatus inveniar apud Te, qui
cum Patre et Spiritu Sancto, vivis et regnas
Deus in sæcula sæculorum. Amen.

*Dilectis utriusque Cleri secularis et regu-
laris filiis, qui per hanc Consecrationis for-
mulam, Sacratissimo Cordi Jesu pie sese dedi-
caverint ac addixerint:*

*1º Indulgentiam Tercentorum dierum toties
quoties;*

*2º Indulgentiam Septem annorum in colla-
tionibus de divinis, quæ singulis anni mensi-
bus fieri solent;*

*3º Indulgentiam Plenariam in fine spiri-
tualium Exercitiorum in Domino concedimus.*

*Ex Aedibus Vaticanis, die 17, mense
Sextili, Anno 1908. Pius PP. X.*

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEPIDI, S. P. A. Magister.
JOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constant., Vicesgerens.

Roma-Officina Poligrafica Editr.
LOUIS MARTIN, 146, Bd. Raspail, Paris (VIe).

